



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Ioannis Ioviani Pontani amorum libri II.

Pontano, Giovanni Gioviano

Venetiis, 1518

De improbitate puellæ suæ.

urn:nbn:de:hbz:466:1-13534

AMORVM

n On sunt carmina, sed canticiones.

Quæ se scribere iactat vtricellus.

Est merdosius omnibus latrinis.

Quod se scribere iactat vtricellus.

Obtura miserum Camœna nasum,

Ne te carmina tam canticata lœdant.

O' merdosia poëmata, o' quid unquam

Erit uel fuit his magis canticatum?

Quam primum medicos mei sodales

Ad me ducite, nam mali gna febris

Dudum me tenet, ut dij, deæq;

Isti dent mala multa, qui nec unquam

Scribit carmina, sed canticiones.

DE IMPROBITATE PSELLAE SVAE.

i Rata est quoties mihi puella

Tristis me uocat aridum poetam,

Et lassum minima futuione,

Indoctum veneris, maliq; penis.

Post hæc in triujs, in ore vulgi

Irridentibus omnibus puellis,

Dicit tam male me esse mentulatum

Quam uel pumilio, puer'ue trimus.

Quam ob rem constitui meas querelas

Deferre ad venerem, inq; ius uocare.

Nam quis tam patiens amator esset?

Quod si sensero ius mihi negari,

Hellespontiacum deum precabor

Partes suscipiat meas, uelitq;

Pro me, quod minimum, facillimumq; est,
Vlcisci facinus manu seuerā.

IVLIO FORTI SICVLLO.

i Vli pars animæ secunda nostræ,
Quid non me pateris meas Camœnas
Omnes proijcere i gnibus cremandas?
Quarum depereunt graues labores.
Et perdo miseris subinde cartas.
Nam quamvis ueterum diesq; noctesq;
Euoluam monumenta Iuliorum,
Attritiq; adeo mei libelli,
Vt nil a solea deesse credas,
Semper nostra tamen Thaleria friget,
Cuius nequitas, ineptiasq;
Nolis lædere, uel putare nullas.
Nec me sordidulum uoces poëtam,
Si non posthabito facetiarum
Lusu, carminibus uacem seueris.
Nam cum desierint graues Catones,
Et sint tempora Busuluniana,
Aequum quis putet esse laude sacra
Sælestos celebrare Tarracones?